



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōiōCCCCXIII.

*Stückzettel erled.
11. XII. 1949.*



A. A. C. C.

DISPUTATIO
EXERCITATIONUM PHILO-
SOPHICARUM XLV,

De

CAUSA VIRTUTUM FI-
NALI, SEU SUMMO HOMINIS BO-
NO CIVILI.

Quam,

Gratiâ aspirante divinâ,

SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,

Liberale exercitii gratiâ defendendam suscipiet,

HENRICUS MECHOVIUS

Stad. Saxo:

In celeberrimâ VVittebergensi Academia,

ad diem 3. Aug. horis locog₃ consuetis.

Laetant. lib. 3. Instit. cap. 12.

*Ex scientiâ virtus, ex virtute summum nascitur
bonum.*

WITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni, ANNO M. DC. XI.



Excellentissimo Viro

Dn. IOHANNI PALEMONIO

Medicinæ Doctore clarissimo,

Patrono ac Benefactori suo observando:

Nec non,

VIRIS IVVENIBVS

*Qua Genio, quâ Ingenio ornatissimis, quâ morum, quâ
virtutum elegantia, doctrinâq; politissimis,
prestantissimis*

Dn. M. JOHANNI COTZIBVVIO

Magdeburg. S. S. Theologiæ in Inclyta

VVittebergenfi Academia Studiofo:

Dn. HENRICO THOMÆ HOL-

fato LL Studiofo:

*Favitoribus suis & amicis multum
colendis*

Hoc Exercitium Ethicum

inscribit

HENRICUS MECHOVIUS.

PRÆLOQUIUM.



St omnino ita, quod Poëta ait, - Si non ipsa plateret Utilitas & bonos Virtus artesq; perirent, &c. Palin. lib. 3. f. 33: Et enim ut quævis actiones à Fine suum momentum accipiunt; Sic ad ipsas illas suscipiendas, idem tam invitamentum præbet, quam offerre incitamentum. usq; eò ut nimis verè adfirmarit Philosophus, quod quicquid fit, propter finem fit, & quicquid efficiatur, efficiatur propter finem, lib. 1. de gen. anim. c. 1, lib. 1. de Cælo 1. 32. lib. 2. de Republ. c. 7, Scal. Exer. 177, Sect. 5. Quocirca ad hunc ut in omnibus actis & factis nostris isemidem oculos nostros spectamus non sic modis benè multis conducit, ut omnigenâ ratione necesse: Vnde & præclarum Bianis est consilium, Quicquid agis, prudenter agas, & respice Finem; Sic enim certè fiet, ὅπως μὴ μωρὰ πέληται, uti in aureis Carminibus suis loquitur Pythagoras. Maximè verò in Virtutum omnium officina seu fabrica hoc inquisitiùs advertendum est, in Ethicarum nimirum rerum discussione, quippè in quâ consideratio Finis καὶ πρὸς τὸν βίον (sic verba Philosophus format in lib. 1. Eth. Nic. c. 1) μεγάλην ἔχει ῥοπὴν, καὶ καθάπερ τοῦ ὅτι σκοπὸν ἔχοντες μάλλον ἂν τυγχάνοιμεν τῆς δέοντος, &c. Imò qui finis cognitione, in illâ destituti sunt, nedum ignorant, quo tendunt, verùm insuper nec ritè homines, nec mentis compotes judicari merentur, Pico. gr. 9. Phil. mor. c. 1: At Asinis similes sunt, qui triticum ad molas ferunt; Recti namq; officij sui ignorant finem, Scalig. Exerc. 249, Sect. 3. Et quid verbis in liquidâ hac causâ opus? Non tam imitùs attendere, quam cognoscere ac proponere primitùs Ethicus Finem suum debet: Alias siquidem nulla eorum, quæ ad finem illum ducunt, notitia haberi potest; Pendet enim mediorum cognitio à cognitione finis, ac ab eâ mensuram, ordinem, recipiunt & constitutionem rectam, lib. 2. Phys. t. 91, & lib. 7. Metaph. t. 23, lib. 6. Eth. Nic. 6. Quid? quod de principijs prius agendum, quam compositis? At finis habet, rationem principij in Practicis, ut inquit Aristot. lib. 6. Ethic. c. 61. αἱ ἀρχαὶ τῶν πρακτῶν ἔνεκα τὰ πρακτὰ. Ceterùm cur à tramite dictorum horum in præcedentibus disquisitionibus (in quibus de Virtutum moralium causâ Efficiente, Materiali & Formali, deq; ijs, & earum adjunctis, in specie, tractationem instituímus, pro instituto nostro, non indiligentem) aberrare quasi voluimus, est quæ excusationem deferat nostram disputatio Prima Ethica: Quocirca citra ulteriorem verborum ambitum, loco coronæ in Ethicâ hac speciatim sic dictâ, de causâ Virtutum moralium Finali, gregario sermone pauca hæc insequentiâ damus.

T H E S I S I.

CVM querere Quid sit, cum ignoretur Quod sit vel An sit, sit nihil querere, ut notatum reliquit Philosophus lib. 2. Post. Anal. c. 8: Ideo antè omnia hîc exquirendum, An sit aliquis Moralium Virtutum finis, seu quod idem valet, An sit in vita humana, aut in actionibus hominum finis quidam. Rem eutem sic habere se, & esse in actionibus humanis fidem aliquam, vel ex hac ratione clarè patescit.

II. Vbicunq; bonum aliquod appetitur, ibi finis ut sit, est necessitatis sum-



ma, ed quod finis rationem habeat boni, & hoc cum fine recurrat: At res humana bonum appetunt; Ut constat, 1. ex inductione, quia nim. omnis ars, omnis methodus, omnis electio, & omnis deniq; actio bonum expetunt, idq; duce Naturâ, quae nunquam non ad perfectionem & conservationem rerum tendit. 2. Ex definitione Boni, quod à Veteribus sic definitum, esse id, quod omnia appetunt, lib. 1. Eth. Nic. c. 1.

III. Invicta ergo est sequela in vitâ Humanâ finem dandum esse, atq; non solum unum, cum modo plura enarraverimus, quae bonum & finem appetant, verum & plures, quorum tamen alij sunt ultimi seu summi, qui & architectonici dicuntur, alij verò intermedij, per quos, ceu scalarum gradus, ad ultimos fines pervenitur, quiq; ideò pretij minoris pra illis sunt.

IV. Inter verò fines ultimos, quod unus omnium postremus dari, neq; omnium finium alius semper reddi possit, vel ab absurdo colligi quit: Si enim non hic est, in quo homo acquiescere potest, & ad quem omnia referre suas, Humanus certe appetitus in infinitum procedet. Sicq; manifestò existet, vanus & inanis, cum non sit in quo terminetur, id quod tamen maximâ laborat oppidò absurditate, lib. 1. Eth. Nic. c. 2.

V. Definitur autem ultimus finis, quod sit is, qui propter se expetitur, & omnia propter illum: Atq; hoc est summum bonum, seu omnium bonorum optimum, quod & dicitur felicitas civilis, seu summum hominis bonum politicum, quodq; ut finis ultimus, homini in hac vitâ propositum est, & propter quod omnia ab eodem sunt, Ibid. c. 4.

VI. Porro, ut propius aliquantum accedamus, quoad nominis Summi boni, notationem, sibi mortalium curcti communi & receptâ quasi opinione illud vocitant εὐδαιμονία seu beatitudinem, δὲ τὸ τῆς εὐδαιμονείης, quod idem est, quod εὐ ζῆν, καὶ εὐ πρᾶττειν; Voce vitæ hic non pro primo, sed pro actu secundo, seu operatione à potentijs animæ, in vivente oriâ, acceptâ.

VII. Quoad verò rei definitionem, seu quid benè sit vivere, inq; re quâ beatitudo hominis consistat, de eâ nemo non admodum est dubitabundus, sic sane, ut unus homo idemq; alio atq; alio cōsideratus in statu, diversas super re hac foveat sententias. 1. Unde est & illud Ciceronis in lib. 5. de Fin: quod de nullâ quæstione major, etiam inter summos Philosophos extiterit dissensio, quàm de eâ, quâ quaeritur, quanam res sit summum hominis bonum: Varronis certe tempore de eo circiter 280 fuere opiniones, ut est videre apud Augustin. lib. 19. de Civ. Dei. c. 3.

11X. Disse-



IIIX. Difficultatis hujus tam, quam causam diversitatis Philosophus ponit diversitatem vite generum, in quibus homines occupati tenentur, lib. 1. Eth. Nic, c. 5: Est enim illud, 1. Voluptuarium, quod in deliciarum frui- tione, voluptatumve totum est, ac cujus sunt grege, luxurioses, edones, bibo- nes, cynici &c. ac cujus quasi primipili fuerunt Eudoxus, Epicurus, lib. 10. Eth. Nic. c. 2.

IX. Verum Beatitudo nec in corporis Voluptate sita est, tum quia haec homini cum brutis communis est, imo brutis potius, quam homini compe- tit, l. 1. Eth. Nic. c. 3; At bonum illud summum homini debet esse propri- um, Ibid c. 6: Tum quia est instabilis & fugax, nec nostro acquiri potest studio, naturalis quippe, & potè enervat, quam Virtutem conservat; Qua omnia ab illo longè alienissima sunt.

X. Nec etiam in Animi: Siquidem haec est perfecta operationis signum, lib. 10. Eth. c. 4. signum verò rei non res ipsa est. Sic nulla rei affectio est de essentia rei: Verum Voluptas animi summi est boni affectio, lib. 7. Eth. Nic. c. 13. Insuper Voluptas non ex se, sed honestà unice actione bonitatem suam mutuatur, ita quidem, ut illà demptà, Voluptas bona esse, vel dici nullo mereatur modo.

XI. 2. Genus hominum est πολιτικὸν & πρακτικὸν. ut sunt principes, consiliarij, consules, senatores, oratores, omnesq; summamq; qui ci- vilia tractant negotia, atq; ex illis honores, ad instar summi boni, ut plu- rimum, affectant: At iterum veram neutquam attingit metam, verum ab eà quam longissimè aberrat, lib. 1. Eth, Nic. c. 7.

XII. Est enim Felicitas proprium bonum & internum, nec in alterius potestate positum: Honor est bonum externum, adventitium, alienaq; po- testatis. Deinde illa propter se semper expeditur, inq; habetur exoptatis: Hic propter aliud, existimationem nempe Virtutis. Adhuc illà in vita haec nil quicquam praestantius repertum est: Contra hic habet quid se praestan- tius & melius, virtutem nempe, ob quam in desideratis est.

XIII. 3. Genus est avaritia ac questui unice deditum, indeq; divitias sum- mum ac ultimum bonorum esse judicat, qualiter res se habet cum opificibus, qui artes ob lucrum tractant, foeneratoribus, &c. Sed enim & hoc falsi- dicum est. Quia divitiae virtute raro, saepe vi & injurijs comparantur, for- tuneq; fluctuabunde potestati subdita sunt; Quae cum Beatitudine nullà unquam ratione consociari possunt.

XIV. Imò *Experientia* locuples pro testimonio dicit, de ditos opibus corradendis, plerumq₃ quo ad illas propius accedant, à Felicitate verà recedant longius: Divitiæ enim, juxta Posidonij sententiam apud Senecam lib. 13. Epist. 88, causa sunt malorum omnium, non quia ipsæ faciunt aliquid, sed quia facturos irritant; inde Poëta verbo--- Iustissimus esse--- Qui cupit, exiguas semper habebit opes.

XV. Demum genus est *Θσωρητικόν*, quod in contemplatione cognitioneq₃ versatur rerum, ac Theoriam seu scientiam pro summo bono habet, ut sunt litterarum studiosi, de quorum censu maximè Plato fuit, qui beatitudinem hominis in Idea, seu formæ essentialis bonorum omnium, contemplatione posuit, lib. 6. de Republ. f. 477, & lib. 7. f. 481.

XVI. Verùm hoc quoq₃ à plano veritatis tramite abit: Sive enim detur Idea boni, sive non detur, (uti ratur Philosophus lib. 1. Eth. Nic. c. 6.) est omninò manifestum, quod in morali hac doctrinà pro Summo bono haberi nequeat; Cum hac agat de rebus agendis, ac tale inquirat bonum, quod agendo possit ab homine comparari, acquisitumq₃ possideri; Idea verò contemplatio, nec in agendo posita est, nec in hominum potestate, cum vix mente percipiatur, & adversariorum sententià, non circa nos, ac extra hunc mundum existat.

XVII. Caterùm rejectis ac resectis hisce, & alijs, opinionibus falsis, ut vera de Beatitudine manifestaria reddatur sententia, ejus tum Essentia, tum Accidentia concomitantia pensculatius paulùm consideranda sunt: Illa planè & plenè ex definitione *ἡσσιώδει* cognoscitur, quæ sic à Philosopho proponitur, *εὐδαιμονία ἐστὶν ἐνέργεια τῆς ψυχῆς λογικῆς κατὰ ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ*, lib. 1. Eth. Nic. c. 7.

XVIII. Genus definitionis hujus est Operatio, siquidem Virtus in ignavo aut otioso residere nec debet, nec potest: Quin imò beatitudo est perfectio hominis, finis enim ejus rei, cujus est finis, perfectio est Stalig. Exerc. 354: At unum quodq₃ tum perfectum est, cum in actu existit, (propter actum enim est habitus: Præstantius verò est id, cujus gratià aliud est.) Ultimus autem actus in ijs, qui operationem sibi vendicant, ipsa operatio est.

XIX. Quemadmodum ergo in ludis Olympicis non formosissimis quibusq₃ & nobilissimis coronæ dabantur, sed qui actu decertabat, inq₃ certamine obtinebat palmam: Ita beatitudo, quæ quasi præmium humanarum est actionum, non Virtutum habitibus instructis præditisvè, verum habitus illos ad actiones conferentibus, adscribenda est, lib. 1, Eth. Nic. c. 7.

XX. Diffe-



XX. Differentie in definitione adducuntur tres: 1: Quod sit actio Anima; Licet enim beatitudo ad totum pertineat hominem, quia tamen non à corpore principaliter, at enim ab anima dependet, neq; homini etiam corporis respectu, sed animæ attribuatur, rectè operatio, non corporis, sed Anima dicitur, quæ hic principale est agendi principium, sicuti homo principium est completum & adequatum, à quo tota illa actio dependet, Virtus verò principium directionis, quæ facit, ut actio recta & directa dicatur.

XXI. Anima autem est, non Vegetantis, non Sentientis, quia hæc duæ homini cum brutis communes sunt, sed solius Rationalis, quæ hominis propria est: Et Rationalis quidem vel per essentiam, ut mentis & rationis; Vel per participationem, ut Appetitus. Ac adscribenda est beatitudo tam Intellectui, tanquam principio proponenti & cognoscenti; Quàm Voluntati, tanquam iussa Intellectus exequenti, beatitudinemq; assequenti.

XXII. 2. Differentia est, quod sit actio secundum Virtutem; Hæc enim ad instar fundamenti est, quo tota innititur beatitudo, ac quo sublato, hæc concidit corrumpitur, collabiturq;. Hujus virtutis sit beneficio, ut hoc bonum dicatur ἰδιον, lib. 1. Eth. Nic. 7, est ἐνέργεια βελτίον & ἀνδρώπυ, lib. 10. Eth. c. 6, est μόνιμον δυσμετάπτωτον, ἀναφάριτον, lib. 1. Eth. c. 5, est τέλειον, Ibid. c. 7, est Θεϊον, Ibid. c. 9, Est τίμιον, Ibid. c. 12, est deniq; πολύκοινον, Ibid. c. 9.

XXIII. Virtus autem esse debet Optima & Perfectissima, aliàs n. effectum, ut est beatitudo, quæ in genere suo summum & perfectissimum bonum est, suâ esset causâ præstantius, quod impossibile: Illa verò Virtus, optima & perfectiss. vel est prudentia, quæ rectam informat rationem, vel mediocritas, forma scil. Virtutum omnium, Vel Iustitia Universalis, vel, quod vero similis, qualibet virtus, in summo scil. gradu, & habitu perfectissimo.

XXIV. 3. Differentia est, quod sit actio in Vita perfecta: Vbi duplex intelligenda perfectio, una ex ætatis parte; Quia in ætate puerili & juvenulâ nõdum confirmatum adest iudicium, ac proinde neq; perfecta Virtus, neq; summum illud, quod querimus, bonum. Vnde pueri philosophicè loquendo, beati esse non possunt, nisi ratione ἐλπίδι, lib. 1. Eth. Nic. c. 9.

XXV. Altera ex parte Temporis, tum quia beatitudo, ad modum cause sue Efficientis, Virtutis nimirum, non est momentaneum quiddam, sed actio constans & diuturna, tum sicuti una hirundo non facit ver, ita quoq; una aut altera virtutis actio, neminem efficit beatum vel bonum: Aliàs enim vel quisvis ad illam pertingeret, cum tamen, ut præclara, sic maximè sit rara, Ibid. c. 7. Et hæcenus breviter de essentia beatitudinis. XXVI.

XXVI. *Accidentia ultimò Felicitatem concomitantia, quæq; ad eius quidem essentiam nil quicquam faciunt, (Illa enim posteriora sunt: At nihil posterius conferi essentiam, Scalig. Exerc. 5. Sect. 1.) sed tantum ad existentiam, splendorem & ornatum multam momenti obtinent; Sunt vel primaria, vel secundaria; Illa iterum tum animi, tum corporis.*

XXVII. *Animi, ut bona conscientia, quæ est animi tranquillitas, ex rectè factis orta, quæ rebus in quibuslibet, firmâ tanquam anchorâ, nitî possimus: Scilicet, --- Hic nurus abeneus esto --- Nil consire sibi, nulla pallescere culpâ, Horat. lib. 1. Epist. 1. Hinc rectè Cicero, in orat. pro Milon: Magnâ vim habet conscientia in utramq; partem, ut semper pœnâ ante oculos versariputent, qui peccaverit, & nihil timeant, qui nihil admiserint, &c.*

XXVIII. *Corporis, estq; tum sanitas, quæ nihil aliud, quàm bonus corporis status, quo id obeundis actionibus, tam naturalibus, πέντες verò & proquinquè, quam volutarijs, δευτέρας autem & remotè, sufficere potest: Tum pulchritudo, quæ est perfectio humani corporis, ex congruente ordine, mensurâ & partium ratione consurgens; Vbi certè --- gratiores est pulchro veniens è corpore Virtus.*

XXIX. *Secundaria beatitudinis accidentia in externis consistunt bonis; Suntq; tum bona fama, quæ est recta aliorum de nobis propter Virtutè existimatio: Et hæc in promiscuo minimè censenda, negligere siquidem, quid de se quisq; sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti, Cic. lib. 2. Off; Imò fama & vita, ut ICTORUM illud habet, pari passu ambulat, samæq; periculum vitæ comparatur.*

XXX. *Tum rerum aliarum sufficientia, ut potiss: sunt, tum Opes, quæ rerum sunt gerendarum nervi, quæq; beato necessaria sunt, quo ad Xenon, lib. 1. Ethic. c. 9; Tum Amici, quibus sine nullus ferè usus est felicitatis, lib. 8. Eth. c. 1 & 3. Et tantum de summo bono civili, quod subordinatur & subijcitur meritissimò alteri superiori, Theologico vim. de quo alij: Ad cuius interim fruitionem plenariam, Nos benignè reseruet Ille, qui est*
Ante omnia, post omnia, totus unus, I P S E.

A D J E C T A N E A.

1. Rectè Augustinus vitam æternam summum bonum, & infernum summum malum esse dixit. 2. Homo interim in hac etiam vitâ Felicitatis particeps est. 3. Et ipse quidem tantum. 4. Tam viri, quam mulieres; 5. Ut unus homo alio sic felicior. 6. Minimè verò Felicitas est à fortuna: 7. Interq; laudabilia non venit. 8. Beatus quoq; commodum à Virgilio Rotundus vocatur: 9. Ac ille nunquam miser esse potest. 10. Liberorū in Felicitate, vel etiã improbitate, mortuorū parentū, nostri respectu, per omnia labefactatur felicitas.

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. C. C.
 PUTATIO
 TIONUM PHILO-
 CARUM XLV,
 De

IRTUTUM FI-
 IMMO HOMINIS BO-
 O CIVILI.

Quam,
 aspirante divinâ,
 PRÆSIDIO

Æ T I L E M A N I

lleg. Philos. Adjuncti,
 gratiâ defendendam suscipiet,
 S MECHOVIUS
 Stad, Saxo:

Vittebergensi Academiâ,
 g. horis loq, consuetis.
 b. 3. Instit. cap. 12.
 ex virtute summum nascitur
 bonum.

TEBERGÆ,
 manni, ANNO M. DC. XI.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.